

requiri actualem ordinationem actus in finem, ut ab ipso finalizetur, et participet bonitatem ejus, vel malitiam; quia actus non est meritorius ex eo quod potest ordinari ad charitatem, sed ex eo quod actu, et de facto ordinetur. Et quoad secundam partem attribuitur m. Soto in lib. de natura, et gratia, c. iv, concl. ii, quod senserit sufficere habitualement statum charitatis et gratiæ, sine alio influxu, ut actus dignificetur, et meritorius reddatur. Idem etiam attribuitur Cajetano infra q. xxi, art. iii. Sed Cajetanus ibi difficultatem proposuit, sed non resolvit, distulit autem in quæst. c, tractandam contra Scotum in quodlibeto xvii, et xli, d. ii, et contra Durandum. Sed in dicta quæstione c, art. xi, mentionem faciens ejusdem quæstionis seu dubii propositi in quæstione xxi, non voluit ibidem resolvere; sed distulit in 2-2, quæst. xlii, artic. iv, sed ibi illam omnino omisit. Scotus autem citato loco de natura, et gratia, illam quidem sententiam insinuat, sed plane non docet: inquit: « Quod potest homo, qui est in gratia facere bona opera cum solo concursu generali, multo melius quam poterat extra gratiam »: addit autem: « Quod alia ratio non videtur esse requisita in Deum, tamquam in finem supernaturalem, quam quod procedat ex gratia. Nam opus ex objecto bonum, natura sua refertur in Deum; et quando quis in ipsum convertitur, virtualiter in eum refert omnia opera. Quocirca id quod nonnulli comminiscuntur, scilicet quod potest opus procedere ab illo, qui est in gratia, non tamen ex gratia; approbare satis nequeo, nisi de peccatis venialibus. » Ita Soto; ubi manifestissime requirit virtualement relationem, nec habitualement admittit, id est, solam concomitantiam gratiæ, sive influxu saltem virtuali in

opus, nisi solum in peccatis venialibus. Quare pro hac sententia auctores isti citari non possunt; citantur nihilominus pro illa Capreolus in ii, dist. xl, quæst. i, art. iii ad primum; contra secundam conclusionem, Conradus 1-2, quæst. i, art. vi; Major, et alii apud Ægidium a Præsentatione lib. i de ultimo fine, q. xvi, art. vii, in fine. Eam vero sequitur Vazquez, ii tom. in 1-2, disp. ccxvii, cap. ii.

XXXIII. Nihilominus quod sit sententia D. Thomæ non requirit actualem relationem in finem, ut ab illo finalizetur opus, in illudque ordinetur, manifeste constat ex hac quæstione i, art. vi ad tertium, ubi expresse docet: « Quod non oportet, ut semper aliquis cogitet de fine ultimo, quandocumque aliquid appetit vel operatur; sed virtus primæ intentionis, quæ est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu enjuscumque rei etiamsi ultimo fine actu non cogitetur. » Idem docet in tertia contra gentiles, cap. cxxxviii, circa finem. Expressius utramque partem, totamque conclusionem docet idem s. doctor in ii, dist. xl, q. i, art. v ad sextum, ubi sic inquit: « Ad sextum dicendum: Quod non sufficit omnino habitualis ordinatio actus in Deum, quia ex hoc quod est in habitu, nullus mereatur, sed ex hoc quod actu operatur: nec tamen oportet quod intentio actualis ordinans in finem ultimum, sit semper conjuncta cuilibet actioni, quæ dirigitur in aliquem finem proximum: sed sufficit, quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur, sicut fit quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere: tunc enim quidquid ad seipsum ordinat, in Deum ordinatum erit. » Ubi S. Thomas manifeste actualem ordinationem non requirit, et habitualement non sufficere docet, sufficere autem

affirmat virtualement, scilicet illam, quæ remanet ex eo quod aliquando actualiter omnes illi fines sint ordinati in Deum, id est, omnia illa opera, seu objecta saltem collectim, et in confuso in ultimum finem relata sint, ut cum aliquis se totum cogitat ad Deum dirigere; ibi enim solum virtualiter, et in confuso continentur omnia illa, quæ postea ex tali fine dimanant. Sequuntur D. Thomam communiter auctores, qui volunt non satis esse habitualement relationem ad influentiam finis, et ad meritum; et pro hac parte citat Vazquez ubi supra, Bonaventuram, Scotum, Gabrielem, Richardum, et alios. Eamdem ut probabiliorem amplectitur Ægidius a Præsentatione, ubi supra in fine articulo vii, citatque Suarez iii tomo in iii P. disp. xiii, sect. iii, §. Dico secundo.

XXXIV. Ratio vero, et fundamentum primæ partis est; tum ex generali ratione operandi in causis, quæ influunt in suos effectus mediante sua virtute relicta, etiamsi actu non sint, ut patet in causis efficientibus; ut ignis qui operantur medio calore relicto, et animal mediante semine relicto, etiamsi jam non existat: ergo etiam finis, etiamsi actu non cogitetur, potest tamen movere ad effectus, media virtute a se relicta, scilicet media determinatione voluntatis, ex priori affectu relicta, et in memoria, ac dictamine reservata; unde instauratur opus etiamsi actu, et explicite finis ipse non cogitetur; sed tantum ipsa determinatio, qua opus, et assecutionem rei est aliquis aggressus, ut supra explicavimus. Tum in moralibus, et in praxi ipsa agendorum quotidie videmus, quia voluntas semel explicata in pacto, in lege, in contractu, in commissione, in recitatione, aut ministerio Sacramentorum, illa operatur, et censetur manere, quamdiu non retractatur, etiamsi actu non cogite-

tur; sed dilabatur cogitatio, ad alia divagando: alias si semper requiretur actualis cogitatio, singulis fere momentis, et actionibus essemus perplexi, imo et ridiculi, si actu deberemus cogitare de priori voluntate unde dimanavit lex, vel commissio, aut contractus, pro exercendis singulis actionibus, quæ ex vi legis, vel commissionis, aut contractus exercentur. Et sane in ministracione sacramentorum sufficere virtualement attentionem ad perficienda sacramenta, licet optimum consilium sit conari ad actualem attentionem, et devotionem, docet expresse rituale Romanum novum, jussu Pauli V. editum, et approbatum, in rubrica de sacramentis in genere, §. Ad ministrandum, ubi ita dicit: « In ipsa ministracione, actualem attentionem habere studeat, vel saltem virtualement, cum intentione faciendi, quod in eo facit Ecclesia. » Et loquitur generaliter de omni sacramento. Unde non relinquatur locus sententiæ affirmanti, pro aliquo sacramento requiri actualem, cum hæc rubrica a pontifice approbata, contenta sit virtuali.

XXXV. Et hinc deducitur fundamentum, et ratio secundæ partis nostræ conclusionis: Quia habitualis relatio nihil operatur ad finalizationem finis respectu mediorum, nec quidquam influit in operationes inde secutas; sed meram concomitantiam dicit, imo et indifferentiam et compossibilitatem cum opposita finalizatione. Finis enim non mittit influentiam suam, et finalizationem medio habitu, sed media intentione, aut amore sui; nam gratia et amore sui movet. Habitus autem, seu habitualis inclinatio solum se habet in actu primo, et in potentia, seu indifferentia ad operandum, vel non operandum in exercitio; ut patet manifeste, quia aliquando utimur habitu, aliquando non compatitur

etiam habitus cum opposito actu, sicut patet quod habitus gratiæ, et charitatis compatitur cum actu peccati venialis, qui nullo modo referibilis est in finem charitatis; sed in propriam voluntatem, cujus expletionem habet pro fine ultimo, saltem ex parte operis. Ergo ex vi solius inclinationis habitualis, non potest verificari, quod finis influat in aliquem effectum, ordinando illum ad se; quia ex vi solius habitualis inclinationis adhuc non manet determinata; sed indifferens ordinatio, et relatio finis, imo et compatibilis est opposita finalizatio in exercitio, seu oppositus finis.

XXXVI. Et confirmatur, quia finis movet, et finalizat ad sui consecutionem per cognitionem, et allicientiam sui determinate intentam; ex intentione enim indeterminata nihil determinatum sequitur. Ergo etiam quando non per se immediate, sed mediante alio movet, oportet quod illud etiam sit determinatum, et ad determinatam allicientiam conducens. Ergo non sufficit habitualis inclinatio, et in actu primo; quia hæc licet quoad specificationem determinata sit, non tamen quoad exercitium, quia habitu non semper utimur, et sic datur locus ut stante habitu, feramur ad oppositum finem. Allicientia autem, et motio finis, cum sit motio movens ad agendum, oportet quod in exercitio determinata sit, et non solum quoad specificationem; specificatio enim, seu bonitas ipsa ex specie sua aliquando allicit, et movet, aliquando non; eandem enim rem modo amamus, modo repellimus, modo nos movet, modo non. Ad motionem ergo finis, et ad ejus influentiam non sufficit determinatio quoad speciem ex parte bonitatis; sed determinatio movens, et alliciens quoad exercitium, et mediante amore sui; ergo non sufficit habitualis inclinatio, et in actu

primo; siquidem sola inclinatio habitualis, sine ullo exercitio movendi, nec præsentis, nec antecedenti, in pura indifferentia manet alliciendi, et movendi, et potest compati cum opposito actu, ergo non remanet cum ratione, et vi finalizandi.

XXXVII. Denique, si sufficeret habitualis inclinatio, et in actu primo, ut aliqua operatio ordinaretur in finem, sequeretur, quod illius qui esset in gratia, quodlibet opus bonum participaret dignitatem omnium virtutum, et meritum illarum, quod est absurdum. Et sequela probatur: nam existens in gratia habet habitus omnium virtutum infusarum; ergo si sufficit habitualis concomitantia, et inclinatio ut in finem illius habitus ordinetur, et ad eo dignificetur; ergo omnium virtutum dignitatem, et meritum habebit quælibet operatio, et in omnium fines ordinabitur, quia sufficit in subjecto esse tales habitus, ut ab illis dignificetur, et in eorum fines actus quilibet ordinari dicatur. Denique pro hæc parte videndus est S. Thomas in II, dist. xxxviii, quæst. I, art. 1, ad quartum, ubi inquit: « Ad hoc quod alicujus actionis finis sit Deus, vel charitas, non oportet quod agendo illam actionem, de Deo, vel charitate cogitet: nec iterum sufficit quod aliquis habitu tantum Deum, et charitatem habeat; quia sic etiam actum venialis peccati aliquis in Deum ordinaret, quod est falsum. »

XXXVIII. Restat ergo quod si non sufficit habitualis inclinatio, seu ordinatio in aliquem finem, nec requiritur actualis, requiratur ad minus virtualis, quæ relinquatur ex aliquo actu præcedente, tamquam respectus aliquis, seu virtus ejus ad determinandum, et ordinandum operationes illi fini annexas, in ipsum. De interpretativa enim ordinatione, non est quod in præsentis

agamus: quia hæc non pertinet ad propriam, et veram ordinationem, sed ad præsumptivam; præsumimus enim, vel interpretamur aliquem sic ordinari debuisse in finem, quia si adverteret, sic ordinaret; in re tamen de facto non ordinat, sed potest oppositum facere. Ergo non servit hæc interpretativa ordinatio ad influentiam, et finalizationem finis vere, et de facto, et prout in re exercetur causalitas ejus, nec ut ipsi actus, et operationes ad finem ordinentur; sed solum ut juxta præsumptiones, et moralem modum communicationis humanæ, judicium feratur.

XXXIX. Quod si inquiras: An hæc virtualis relatio, et ordinatio in finem duret determinato tempore, ut censeatur influere in opus: an quolibet temporis spatio, semel habita duret, nec unquam evanescat; videtur enim duriuscule intelligi, quod si semel quis in initio vitæ omnia sua retulit in Deum, et postea longo tempore non recordatur amplius hujusmodi ordinationis, dicatur perseverare illa intentio, et relatio prior in finem, præsertim cum ea, quæ semel fiunt, etsi memoriæ mandentur, tamen solo temporis decursu elabuntur, et desinunt esse. Virtualis autem relatio, et ordinatio in finem non aliter fit quam mediante dictamine, et determinatio aliqua relicta in memoria: unde in actus a dictamine illo prodeuntes influentia derivatur, quæ etsi non recordetur finis in se, et expresse, recordatur tamen necessitatis, et convenientiæ ad faciendum opus; aut alicujus medii involventis respectum ad talem finem, quod utique ex illo fine primordialiter derivatum est. Quæ autem a memoria pendent, oblivione delentur, et oblivio ipso temporis decursu inducitur. Unde et philosophus dicit in libro de longitudine, et brevitate

vitæ, c. II: « Quod scientiæ corruptio, non solum est deceptio, sed oblivio. » Et in VIII, c. V, dicit: « Quod multas amicitias inappellatio dissolvit, » id est, ipse communicatio, seu interpellationis defectus. Ergo similiter ipse non usus, seu oblivio finis, quæ tempore inducitur, ordinationem virtuales in finem dissolvit.

XL. Dicendum nihilominus est: Quod determinatio ista virtualis semel facta durat, et influere potest quamdiu non interrumpitur, seu corrumpitur per contrariam intentionem, aut assecutionem finis, nec longitudine temporis dissolvitur per se loquendo, licet per accidens possit per oblivionem, et per tempus corrumpi, sicut et ipsi habitus acquisiti. Si tamen semel corrumpatur, aut interrumpatur illa prima intentio, et virtualis ordinatio ex illa dimanans, oportet de novo illam instaurare, si operationes, vel effectus debent de novo in illum finem ordinari. Hanc resolutionem desumimus ex D. Thoma. Nam quoad primam partem, desumitur ex loco supra citato in II, distin. XL, quæst. I, art. V ad sextum, ubi dicit: « Quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc quidquid ad seipsum ordinat, in Deum ordinatum erit. Et si quæretur, quando oporteat actum referre in ultimum finem: hoc nihil aliud est, quam quærere, quando oporteat habitum charitatis exire in actum. Quia quocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in ultimum finem, et per consequens omnium eorum quæ in ipsum ordinantur, ut bona sibi. » Ubi ponderandum est illud verbum: Quocumque habitus charitatis in actum exit, etc. Sufficit ergo, aliquando habitum charitatis in actum exire, ut fiat ordinatio hominis in omnium eorum

quæ ad hominem ordinantur, in ultimum finem : ordinantur autem in hominem, et ad ipsum pertinent quæcumque agit quocumque tempore : ergo si quancumque exit in actum charitatis, fit ordinatio omnium istorum in Deum; hoc ipso quod semel fiat semper manet ordinatus, nisi destruat, aut interrumpatur ordinatio illa, et intentio per contrarium.

XLII. Et ratio est manifesta, quia intentio finis, quamdiu non est interrupta, et destructa per contrariam intentionem, non est a quo destruat, siquidem solo non usu, aut decursu temporis non potest destrui; cum nec dependeat per se a tempore, si quidem est quid spirituale, utpote per actum voluntatis facta; nec dependeat ex usu, et ex continuatione, alias cessante actu, statim cessaret, si dependeret in fieri, et conservari ab usu, et continuatione actus : nullus autem dicit, quod statim cesset ordinatio finis, cessante usu, et actuali cogitatione, aut recordatione ejus; quia etiamsi actu non recordemur finis, operamur ex illo : ut patet cum quis intendit in Romam, non oportet quod in singulis passibus, Romæ recorderetur; et tamen ex fine perveniendi Romam, iter facit. Ergo illa determinatio virtualis non pendet in fieri, et conservari ex ipso fine, et actuali cogitatione ejus. Ergo remanet, et durat cessante cogitatione. Ergo nisi alia causa contraria, et destructiva superveniat, illa non destruitur. Non potest autem supervenire nisi vel causa corporalis, vel spiritualis; corporalis, ut est longum tempus, non destruit rem spirituales, qualis est determinatio illa : ergo debet esse spiritualis. Hæc autem non repugnat, neque destruit illam, nisi sit contraria intentio; quia quidquid aliud ponatur, non opponitur ei; ergo neque destruit

illam virtuales determinationem : ergo non posita tali contraria determinatione, non desinit illa virtualis intentio : neque per causam contrariam, quia non datur; neque per longum tempus, quia ei non opponitur; neque per merum non usum, quia non dependet in sui conservari ab usu, vel a continuatione.

XLIII. Quoad secundam autem partem sumitur conclusio ista ex D. Thoma infra quæst. LIII, art. III, ubi docet : « Quod habitus potest corrumpi, vel diminui per cessationem ab actu non per se et directe, sed per accidens; quatenus per cessationem ab actu subrescunt tractu temporis contraria, quibus habitus ipse diminuitur, vel totaliter corrumpitur. » Et solutione ad primum dicit : « Quod etiam calor per cessationem a calefaciendo corrumpitur, si per hoc increaseret frigidum, quod est calidi corruptivum. » Eadem autem ratio est de corruptione habitus, et de corruptione determinationis illius, quæ ex fine amore relinquatur. Nam in tantum corrumpitur habitus, cessante usu ejus, in quantum per illam cessationem datur locus, ut insurgant contraria, et ab illis contrariis corrumpitur; sed insurgente contraria intentione, corrumpitur determinatio relicta ex priori intentione : ergo potest per accidens ex non usu, et cessatione ab actu per tractum temporis corrumpi, seu destrui illa intentio. Patet consequentia, nam non est ratio, cur cessante usu habitus, per tractum temporis insurgant contraria, quibus habitus prior corrumpatur, et non possint insurgere contrariæ intentiones, quibus prior intentio corrumpatur : præsertim cum ipsa mutabilitas, et instabilitas mentis, in tam varias intentiones sit præceptus, ut quotidie videmus.

Sed objicies ex patre Vasquez dis-

putatione illa cccvii, a capite secundo et deinceps, multa testimonia, tum ex Scriptura, tum ex Concilio Tridentino, in quibus attribuitur meritum ipsis bonis operibus, nulla mentione facta relationis virtualis in Deum, seu in finem ultimum : ergo perperam nos istam relationem, seu ordinationem virtuales cumulumus; sed sufficit hominem in gratia esse, ut opera ab illo procedentia, digna sint mercede vitæ æternæ.

XLIV. Antecedens probatur, nam Lucæ x, servanti mandata promittitur vita æterna, sine alia relatione adjuncta : Matth. xii, Marci iii : *Qui fecerit voluntatem Patris*, dicitur esse frater, et soror, et mater Christi. Item Matth. xxv, facientibus opera misericordiæ, promittitur retributio æterna : *Esurivi enim*, inquit, *et dedistis mihi manducare, sitivi, et dedistis mihi potum, etc.* Nulla autem fit mentio relationis in ultimum finem, aut quod illa opera sint facta ex amore charitatis. Et alia similia testimonia Scripturæ multiplicantur, quæ non aliam vim habent. Ex Concilio Tridentino habetur sessione vi, cap. x, modus quo justii crescunt in gratia et justificatione : « Euntes de virtute in virtutem, et cooperante fide bonis operibus per observationem mandatorum Dei et Ecclesiæ. » Quæ utique observatio mandatorum, etiam sine relatione illa charitatis in ultimum finem, impletur. Et cap. xvi ejusdem sessionis plenissime docet Concilium eandem sententiam : « Quia cum Christus jugiter tamquam vitis in palmites, et caput et membra virtutem in justificados influat, nihil ipsis justificatis deesse credendum est, quominus plene, illis quidem operibus, quæ in Deo facta sunt, divinæ legi, pro hujus vitæ statu satisfacisse, et vitam æternam, suo etiam tempore, promeruisse censeatur. » Ista autem opera bona,

quibus lex divina impletur, sufficit quod sint moralia opera virtutis acquisitæ, quæ sine ulla ordinatione virtuali charitatis fieri possunt : ergo talis relatio virtualis necessaria non est ad merendam, et assequendam vitam æternam : ergo neque ut subordinentur fini, quia finis est vita æterna.

XLV. Confirmatur, quia hæc relatio virtualis in finem, vel requiritur, ut tota ratio bonitatis, et meriti refundatur, in charitatem; aut relinquatur propria ratio bonitatis, et meriti in virtutibus acquisitis ex sua specie, et solum requiritur relatio in charitatem, ut conditio. Primum dici non potest, cum etiam actibus propriis virtutum respondeat præmium vitæ æternæ, et non sit sola charitas, quam meremur, et cui promissa est beatitudo, sed etiam operibus bonis; ut constat ex locis supra allegatis. Secundum vero sine fundamento dicitur, cum nec Scriptura, neque Concilium, talem conditionem requirat : sed potius servando legem (quod utique fieri potest ex affectu propriæ virtutis, et non ex affectu charitatis) fiat homo magis, ac magis quotidie justus. Si autem requiritur talis relatio virtualis in finem plurima opera bona, tam fidei, et spei, quam religionis, et pietatis fraudarentur merito suo; quia plura ex illis fiunt sine tali relatione, aut quia homines non advertunt, aut quia non habent notitiam talis opinionis, quod illa virtualis relatio ex charitate in finem ultimum requiratur.

XLVI. Denique, ut opera sint meritoria ex fine, sufficit, quod sint dignificata ex fine. Dignitas autem tribuitur quibuscumque operibus, ex sola dignitate subjecti, quæ utique ex ipsa habituali gratiam habetur; per hoc enim subjectum dignificatur, quia est in gratia : dignificato autem subjecto, per ordinem